

1495 quod tantis objectis fluminibus iter se impeditissimum habituros intelligebant, Ludovici exercitu munitissimis in locis se opponente. pontium autem efficiendorum facultatem sibi datum iri non videbant, præceptis navibus, quibus imponi possent. Tum illud etiam timebant, ne, si vis adhiberetur, perfidia Ludovicus sua Gallos sibi adiungeret, ut rerum dominus, & pacis ac belli arbiter videri posset. Hæc versantibus legatis, Contareno adhibito, neque satis tutum ejus rei exitum reperientibus, ubi omnes paulisper conticuerant, *Ego*, inquit Contarenus, iter *vobis domum*, *si annuitis*, *patens atque tutum comparabo*. Ad ea cum legati, quonam id tandem modo, quo ve consilio esset effecturus, ab eo quæsivissent: *Hodie*, inquit, *ut consuevistis*, *vos & Ludovicus una eritis communibus de rebus consulturi*: aderunt cum illo sui duces, *vester vobiscum imperator, præfectique*: *fores claudentur*: *disceptabitur*. tum ego illum, tanquam allocuturus, hoc vobis gladio confossum atque confectum dabo: *ea re patrata*, neminem ex ejus ducibus ferrum educturum certo scio. quis est enim eorum omni non fœmina timidior? aut quis illum non pessime odit, uno aut altero excepto? qui tamen ipsi ad Carolum legati de pace profecti adesse non poterunt. Ludovici etiam exercitus ipso mortuo ad vos signa transferret, si se receptum iri intelliget, praesertim spe largitionis aliqua oblata. quod si fit, ejus quoque regnum vestris in manibus versabitur. ita ille, ut meritus est, suorum sceleurum pœnas pendet: *vos reipublicæ injurias nullo dispendio ulti*, *vestram dignitatem pulcherrime retinebitis*. Erat Contareno procerum sane corpus, & vividum solidumque; vires immanes, vastæque, ac prope inexuperabiles: animus cum prudens, tum omnium magnarum rerum capax, ut quod is polliceretur, etiam præstari posse confideres. Itaque ea legati cum intellexissent, maximis illum laudibus certatim efferentes, quod tantam rem aggredi pro communi salute non dubitaret, constituerunt, hoc ad extremum reservato consilio, experiri, num Ludovicus ad sanitatem bonis artibus converti posset. ea tamen de re,

*Contareni
audax con-
silium de
Ludovico
interficien-
do.*

quam